DE GENUINA
LINGUAE LATINAE
PRONUNCIATIONE
OPINIO

JOANNIS CAROLI UNGER
UNGARI RUSQUINIENSIS
EMERITI PROFES. ET EDUCATORIS PUBLICI
NEC NON CONSILIARII OECONOMICI
MEMBRI ACTUALIS
INCLITAE SOCIETATIS AGRONOMICAE
CESAREO REGIAE VINDOBONENSIS
ET INTER ARCADES ROMANOS
POLIANDRI MARATHONII



ROMAE
EX TYPOGRAPHEO CRISPINI PUCCINELLI
MDCCCXXXV.

Quae bona sunt, fieri meliora possunt doctrina; et quae non optima, acui tamen aliquo modo et corrigi possunt.

Cic. 1 de orat.



Dum pluribus ab hinc annis urbem Parthenopeam incolerem, ab eruditis viris interpellatus fueram, ut opinionem meam depromerem, num pronunciatio latina eruditorum Italiae studiosis aliarum nationum pro regula normaque statui possit. Attente rem perpendens ac examinans me ipsum conviceram, quaestionem hanc negationem mereri.

Rationes meas judicio peritorum subjicio.

Universam fere peragratus Italiam, magnam in lingua romana pronuncianda diversitatem apud diversos peninsulae populos detexeram; nam Taurinenses, Genuenses, Mediolanenses, (*) utpote Galliis viciniores, multos naevos Gallorum in usum converterunt. Vocalem nempe U, prout illi,

(*) *In Ecclesiis passim*: *Dominus* (i) *vobiscom*, *et per omnia saecula* (i), *saeculorum* (i) *cantantes audieram.*

iam U', et ante M et N ut O pronunciant, consonantes C et G gallico more emollientes, legesque de accentu negligentes, dum soli quantitati syllabarum serviunt. Qui confines Germaniae regiones incolunt, plus minus menda harum aut propriae nationis contraxere. Mediae et inferioris Italiae eruditi plurimas anomalias ex nova lingua italica, et pro diversitate dialectorum etiam multiplices pronunciationi latinae defectus intulerunt. Longum foret errores singularum specialiter persequi, sufficiat eos generatim perstringere.

In primis tamen media designanda sunt, quibus ad genuinam pronunciationem cruendam utendum est. Hac de causa determinandum ante omnia esse censeo, unde Latini Alphabetum proprium, compluresque voces linguam latinam excolentes hauserint. Nemo eruditorum dubitaverit Romanos utrumque a Graecis accepisse ac Latio intulisse; unde concludendum, litterarum ac vocabulorum graecorum, latina civitate donatorum, sonum, eundem Romae ac Athenis viguisse. Hinc non absque fundamento concludo, Romanos vocabula graecae originis, ut Cedrus, Centaurus, Centrum, Cera, Ceroplastes, Cerasus, Cestus, Cete, Ciliciam, Cinaedus, Cincinnus, Cesta, Cithara, Citharista et genesis, genealogia, genitor, genitrix, gigas, genus, genu, geographia, gymnasium, gypsus, gyrus, graecorum more absque emollitione litterarum K et Kedrus, Kentaurus, Kentrum et sic porro pronunciasse. Nomina propria ut Cephalonia,

Cyprus nunc etiam in ore recentiorum Graecorum Kephalonia et Kypros audiunt.

Quodque Romani eundem sonum inter K et C ad originarie latinas voces transtulerint, demonstrat lapis tumularis graece et latine scriptus, quem in ambitu Vaticani inter inscriptiones antiquas videram, in quo nomen *Marcellus* graece Marcellos (Μαρκελλος) scriptum inveneram. Quis porro dubitabit nomen Caesar cum sono K initialis pronunciatum fuisse, si Germanos, qui nomen illud directe a Romanis acceperunt, adhucdum *Kaiser* enunciare audiat ? K ergo Graecum idem erat, eandemque vim cum C latino habuerat, prout etiam G latinum semper, non obstantibus subsequentibus E aut I, prout graecum pronunciatum fuisse arbitror. Emollitio igitur, quam istis litteris ante E aut I positis Itali, aliaeque nationes diversimode tribuunt, successu temporis, dominium usurpantibus neonatis idiomatibus, in Alphabetum latinum irrepserat, eamque Grammatici ob commoditatem oris, ad vernacula assueti, data etiam regula, quod C ac G ante E et I emolliri debeat, usu longo ad normam linguarum vernacularum consecrarunt.

Validius argumentum, quod K graecum et C latinum ante litteram E quoque eundem sonum habuerit, nobis Quinctilianus Inst. cap. XIII. de risu suppeditat, ubi narrat, Ciceronem in foro amico colloquentem, a filio *coci* cujusdam, qui magistratum ambiebat, voti causa manu prensatum fuisse. Postquam amicus candidato votum promiserat, Cicero ambigue eidem dixisse refertur: *Ego te COCE juvabo* —

quod etiam, *Ego te QUOQUE juvabo*, interpretari potest. Hac ex ambiguitate Ciceronis discimus: Romanos vocativum substantivi Coeus, Koke et non *Coce* cum emollitione pronunciasse; porro eos nullam litterae V post Q rationem habuisse, et *quoque* ut Koke eloquutos fuisse; unde sequitur emollitionem illam, posteriori solummodo aetate, ex usu vulgaris linguae italicae ad romanam transiisse.

Hinc nil mirum, quod etiam *Erasmus Roterodamus*, *Echo* in Dialogo ad vocabulum *Sacerdos* — graeca voce κερδος et ad nomen *Grammatici* graeco ειxη respondere sinit, quo professus fuerat, se Sa*kerdos* et Grammati*ki* enunciasse, nullamque litterae C, quae graeci K vices gerit, ante E et I emollitionem admittendam esse.

Attamen, quod usus longa praescriptione confirmasse videtur, difficulter ab optimis etiam Grammaticae praeceptoribus eliminabitur. Praetereamus ergo, si lubet, anomaliam hanc, et nos ad alias longe perniciosiores convertamus, quas celebris Grammaticus *Alvarus* admonitione peculiari in Prooemio Institutionum suarum perstrinxerat. Is praeprimis Romanos Praeceptores admonet, ut modo pronunciandi apud discipulos invigilent, serioque barbariem persequantur, quae per Italiam, praesertim vero Romae, incuria magistrorum scholis irrepserat. Nam prout ipsemet asserit, M quidam insequente N perinde efferunt ut N, nempe *onnis* pro omnis — *Sonnus* — *condenno* — *dannum*, pro somnus etc. Idem illis usu venit post P, litteram hanc aut extinguentibus aut permutantibus; nam pro emptus, *entus*; pro comptus,

contus; pro promptus, *prontus*; et pro deceptus, absorptus, *decettus*, *assortus* efferunt. D autem ante N saepe vertunt in N; siquidem pro contendo, *contenno*; pro conditor *connitor* dicunt. Nonnunquam D cum T commutant, ut caput capu*d* enunciantes. Interdum post S, T et M vocalem E adjungunt, ut fidelis*e*, est*e*, abest*e*, Regina Angelorum*e* dicentes. Lettera C in fine vocis perinde E addunt, articulumque, neglecta aspiratione H, ic*e*, aec*e*, oc*e* effutientes. In medio vocabulorum C ante T vix attingunt; nam pro sanctus, cunctus, dicunt *santus, cuntus,* aut tanquam alterum T pronunciant, *pattum*, *dittum*, *dottum* pro pactum, dictum, doctum; aut *vittor*, *attor*, *dottor* pro victor, actor, doctor efferentes. Eadem injuria afficiunt P ante T et S, cum aiunt: *attus, inettus, serittus* pro aptus, ineptus, scriptus. Iidem J et S nonnunquam supprimunt: *obicio*, *inicio* pro objicio, injicio; *disero*, *disipo* pro dissero, dissipo perperam sonantes. X quocunque loco vitiose pronunciant, illius loco S simplex aut duplex substituentes, e. g. *Serses*, pro Xerxes, *Felis*, pro Felix, dein *dissit*, *fassit*, *dussit*, pro dixit, faxit, duxit; *esaudi* pro exaudi, *ausilium* pro auxilium applicantes. Saepe etiam pro X pronunciant Z, ut in uxor, quod *uzor* efferunt.

Omnes isti, ab Alvaro in admonitione ad praeceptores romanos post frontem Grammaticae suae directa, notati defectus, ex vitioso modo Alphabetum italicum in vernaculis scholis cum *elle*, *emme*, *enne*, *erre* et r pronunciandi, quem etiam in scholis latinis sequi videntur, et ex commo-

ditate oris vulgi nati sunt, quam suavis et pronunciatu facillima lingua vernacula ad scholas quoque linguae latinae magno cum detrimento puritatis introduxerat.

Maximam vero ambiguitatem subpressio litterae H pronuntiationi latinae intulit. Hanc praeter commoditatem oris Italorum Alvarus ipse praeparaverat, dum in correcto simplificato et pro norma statuto Alphabeto latino aspirationem hanc gravem, praeposita vocali A, quae ipsam absorbsit, enunciare docet. Si aspirationem, prout faciunt Ungari et Hispani, vocali A praeposuisset; verius tironibus suis sonum litterae H (quam in Prosodia consonantem esse agnoscit, cum alteri consonae juncta praecedentem vocalem positione longam efficiat) ostendisset, italoque ori pronunciatu faciliorem reddidisset. Litteram hanc ad bonam linguae latinae enunciationem essentialiter necessariam esse propositiones sequentes docent:

Hos canes Melampus noster per raptum *os* accierat.
Is, *his* dictis nobis valedixerat.
Heri crumena *aeri* destinata fuerat.
Tu non *irae*, sed manducando *hirae* mederi debes.
Ominibus non est credendum, at *hominibus* serviendum.
Per duas *horas oras* Ostienses emensus fueram.
Horno vino triclinium *orno*.
Tiro thema *orsum horsum* tulit.
Sol needum *ortus*, et iam apertus est *hortus*.
Ubi cultivati sunt *horti*, illic flores sunt *orti*.
Ad Tiberis *ostia* cecidit Neptuno *Hostia*.

Ego ex Pannonia *abeo* Romam, ubi Brennus victor dixit: *habeo* Romam.

Quanta confusio et quae difficultas intelligendi nascitur in ejusmodi sententiis litteram *H* negligendo! Nonnulli Italorum mihi opposuêre, quod contextus sensum salvaturus sit, — quod quidem non nunquam, sed non ubique, effectum nancisci poterit, praesertim in articulis et in pronomine *mihi* quod per abusum in *miki* convertunt.

Serio igitur adlaborandum foret, ut littera haec utpote aspiratio gravis ad normam Graecorum juri usuique suo restituatur, sicque enunciatio linguae latinae evidentiae majoris emolumentum capiat.

Quod hic male pronunciantes claritati linguae rapiunt, hoc alii E in fine vocum perperam sonantes, quasi vero omnia vocabula in vocalem desinere deberent, turpiter addunt. Assuescant igitur juvenes, ut litteras Alphabeti non vulgaris linguae, sed romanae usu simpliciter l, m, n, r, s, t, absque annexo E enuncient. Discant, quod vocabula latina consonante terminata nullo sono vocali subsequente egeant, quodque ridiculum sit cantantes etiam in templis audire: Mater amabilis*e* — Virgo fidelis*e*, Regina Angelorum*e*! — enunciantes; quodque in concionibus praesertim citatio textus latini per inutilia E defigurati cultas aures offendere debeat. Quis enim sine indignatione citantem audiat: Et*e* faciess*e* eiuss*e* erat*e* sicut*e* nix*e*!

Profligatis igitur nunc notatis abusibus efficacissimum medium pronunciationem latinam ad avitum suum splendorem

reducendi assequemur, si examinaverimus ubi nam locorum adhuc puritas enunciationis vigeat. Inter Europae urbes fateor Romam thesaurum genuinae pronunciationis adhucdum in liturgia sua possidere. Divus enim Gregorius M. Papa, qui cathedram S. Petri anno Christi DXC conscenderat, cantum ab ipso dictum Gregorianum liturgiae sacrae applicuit, sicque tempore illo, quo Romani adhuc latine loquebantur, non solum melodias sed et accentum sillabarum ad normam et usum veteris Romae posteritati christianae transmiserat. Clerici ergo et Cantores principis Ecclesiae illius, traditionum suarum tenacissimi, liturgiam hanc, enunciationem ejus, sillabarumque accentuationem inde a tempore Gregorii M. ad nostra usque tempora in tantum conservarunt, in quantum nova lingua vulgaris, et commoditas oris puritati ejus damna inferre nequiverat. His e fontibus manavit permutatio *Ce*, *Ci* vulgaris cum Ce, Ci; et substitutio *GE*, *GI* pro GE, GI latino, postremo tandem emollitio duarum consonantium GN in ma*gn*us a um, in ma*gn*ificat, in re*gno*, in *gna*rus, i*gn*arus etc. quae *manius*, *maniificat*, *rènio*, *niarus*, *iniarus* proferunt, ac si e. g. magnus litteris *manius* scriptum esset. His tribus anomaliis demtis tiro enunciationis linguae romanae multum profecturus est, si cantum Gregorianum sedulo observaverit, usumque Clericorum Vaticani sequutus fuerit. In Basilica igitur S. Petri, et in aliis, quae matrem hanc in enunciatione sequuntur, Ecclesiis magna parte inadulterata pronunciatio romana deprehendi et disci potest.

Concessa igitur hac in re Romanae Ecclesiae praerogativa, me ad alias Europae nationes converto.

Linguam romanam uno ab hinc saeculo linguam communem (πασιγλοσσον) omnium eruditorum Europae fuisse nemo negaturus est. Angli, Scandinavienses, Hispani, Lusitani, Galli, Germani, Poloni et Ungari linguam hanc tanquam fundamentum vehiculumque scientiarum culturaeque universalis didicerunt, sibique medium efficax ad notiones humano generi proficuas communicandas et propagandas stabiliverunt. Eruditi linguam hanc ad normam classicorum authorum genuina cum latinitate scripserunt, quod opera insignia cunctarum nationum palam faciunt, in pronunciatione tamen plures toto coelo a se ipsis diversi erant, quia vernaculis linguis plus quam simplici et authentico alphabeto romano adhaerentes, defiguratum aut litteris auctum alphabetum proprium latino sermoni intulerunt. Sic e. g. Angli a in ae, u in ju; sic Galli u in ü aut o permutarunt, vocales romanas et consonantes nationali linguae servientes originario sono privantes, accentumque sillabarum absque ratione sufficiente negligentes aut permutantes. Sic nonnulli apud Germanos diversitatem Tau a Delta, et U consonae a F tollentes, diphtongosque ad modum linguae propriae efferentes puritatis honorem amiserunt. Nam quis latium sermonem in intonatione Praecentoris detexerit, dum in Laudibus officii *De ea* praecinit: Pinguis aest - (Sic incipit Antiphone, dein continuat) Tajus Tajus maius, at te de luce figilo! — Poloni minus erronee enunciarent, si in vernacu-

la propria L emollito non uterentur, et consonantem H non velut U efferrent. His de causis ipsos dicentes audivi: Polonus (quasi Polionus) sum atque uomo invicem homo. Nuperrime cum theologo in Norvegia orto, qui in Universitate Christianiensi studiis vacaverat, conversatus, latine cum ipso disserens enunciationem ejus perfecte hispanicae, ungaricaeque conformem exceperam. Idem emollitionem C, prout hae duae nationes, per tze, tzi eloquebatur, G vero nuspiam emolliens. Scandinavienses igitur, Hispani et Ungari, qui linguam latinam ante ortum linguae italicae vulguris et postmodum etiam independentes ab illa acceperunt, summam merentur hac in re attentionem. Nam in Hispania coloniae romanae jam tempore reipublicae stabilitae fuerant, et sub Imperatoribus Christianae religionis instituta etiam a Romanis didicerunt; in Ungariam saeculo X. a Silvestro II. Pontifice et ab Episcopis et religiosis tum italis tum germanis, qui omnes latini sermonis gnari erant, cum religione christiana cultura linguae romanae regno illata, illicque tanquam efficacissimum communicationis medium inter diversos Pannoniam incolentes populos, ad nostra usque tempora conservata fuerat. Pronunciationi purae in illis regionibus nationales linguae, nihil cum romana commune habentes, minus obstare potuerunt, quam italica, gallica et anglica, quae magna ex parte radices suas e romana traxerunt. Lingua enim gothica, arabica, magyarica et slava nullam penitus affinitatem cum romana habent, ideoque

nullum in enunciationem romanae influxum exercere potuerunt.

Mirum profecto est, quod Hispani, Norvegii, et Ungari tantopere ab invicem distantes eandem fere linguae latinae enunciationem possideant; nam ego demta duriore aspiratione litterae H, quam ab Arabis concivibus quondam suis Hispani acceperint, nullam penitus diversitatem observaveram. Ce, Ci emolliunt omnes tres illae nationes, *tze*, *tzi* dicentes; at litterae G jus suum, quin illam more Italorum emolliant, relinquunt; de coetero omnia eo modo pronunciant, quo liturgiam in Basilica s. Petri Romae cantari audieram. Demtis igitur emollitionibus vulgaris originis, quatuor illae pronunciationes, S. Petri nempe, Hispanorum, Ungarorum et Norvegiae incolarum concordantes, studiosis genuinae pronunciationis linguae romanae pro norma commendari possent. Quod Ungaros attinet, animadvertendum est, puritatem hanc solum Catholicos Lutheranosque inter vigere. Calvini enim asseclae maxima parte nationales Magyari, ex lingua magyarica, quae S simplex ut germanicum esth pronunciat, eundem sonum etiam linguae latinae inferre conantur: sic magyarorum more E saepe acuunt litteraeque I vicinius enunciant.

Ex dictis patet, quod praejudicium multorum Italorum, quod eruditi Italiae, tanquam Successores Romanorum, optime linguae romanae enunciationem nosse et exercere debeant, genuinum praejudicium sit, quodve ipsorum modus pronunciandi, qui pro diversitate provinciarum diversus est, ob

defectum unitatis nequaquam aliis nationibus pro norma statui possit.

Glorientur interea Romani, quod in liturgia S. Petri thesaurum verae pronunciationis adhuc dum possideant, quo romanae linguae pulcritudinem, gloriam et honorem tueri possunt, si emollitiones adulteras, quas suavissima et commoda filia, lingua nempe recentior italica induxerat, sedulo evitaverint, et e Sanctuario linguae veteris romanae eliminaverint. Quibus vero sors felicitatem Romae degendi negaverit, hi si recte enunciationis latinae cupidi sunt, se ad eruditos Hispaniae, Ungariae et Scandinaviae convertant.



Nihil obstat -- J. B. Rosani Schol. Piar
Censor Philolog.

Imprimatur -- Fr. D. Buttaoni S. P. A. Mag.

Imprimatur -- A. Piatti Archiep. Trapezunt. Vicesg.